



Disputatio juridica inauguralis de contrahenda emptione venditione

<https://hdl.handle.net/1874/343253>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

Contrahenda Emptione
Venditione,

QUAM
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomæ & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, &
Privilegiis ritè consequendis,

Publicè defendere conabitur

RUDOLPHUS ANTHONIUS van MUYDEN, Ultrajectinus.

Ad diem 20. Octobris, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ic Lxxxv.

*Nobilissimo, Spectatissimo, Amplissimo, omni
virtute ac sapientia conspicuo VIRO,*

D.D. PAULO VOET

Van WINSSEN,

J. U. D. Republicæ Ultrajectinæ Ex-
confuli ejusdemque nomine ad co-
mitia celsissimorum ac præpotentium
D. D. Ordinum Generalium foederati
Belgii Hagæ Comitum haberi solita
quondam Deputato nunc autem illu-
strissimis D. D. Ordinibus Provinciæ
Rheni Trajectinæ à Secretis.

*Hanc Disputationem Inauguralem
& semet ipsum*

In observantiæ signum

Offert & inscribit

RUDOLPHUS ANTHONIUS van MUYDEN.

AUTHOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

Contrahenda Emptione
Venditione.

T H E S I S I.



Ntequam ipsam hanc materiam explicare incipiam, prius aliquid dicendum, unde emptio dicta fit & venditio, & quomodo hæ voces apud veteres JCtos usurpentur. Emptio ergo dicta videtur ab Ἐμὸν. id est. meum. quia in emptione id agitur ut res mea fiat, unde nemo potest videri eam rem vendidisse de cujus dominio id agitur ne ad emptorem transeat, quamvis Veteribus dicebantur emere tam qui rem, quam qui usum rei suam faciebant, & qui locabant vendere dicebantur, post emere dici cæpit qui mercatur. Lex autem 12. tab. omnem alienationem emptionis verbo complexa est ut ait Pomponius in l. 29. ff. de stat. lib. aliquando hic contractus denotatur duobus vocabulis, ut emptio venditio, quia duobus hisce factis seu duabus partibus hic contractus constat, factum enim ejus à quo pecunia datur emptio, & ipse dans emptor, ejus autem à quo res proficiscitur venditio, & ipse venditor dicitur, & licet alterum sine altero esse non possit, maxime tamen hæc facta differunt L. 1. ff. de cont. empt. quamvis uno verbo sive emptionis sive venditionis veteres sæpissime totum contractum significant ut patet ex inscriptione *hujus Rubricæ in Pandectis.*

I I.

Emptio Venditio est contractus Juris Gentium nominatus bonæ fidei consensu constans de re acquirenda certo pretio. hic contractus est *Juris Gentium* quod videre est ex *l. 1. §. fin. ff. b.* & originem sumpsit à permutatione (ratio est vel quia in permutationis, locum quasi successit, vel quia defectus permutationis causam præbuit inventioni nummi & introductioni emptionis, quoniam non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles &c. ut eleganter tradit Paulus in *l. 1. ff. b.* & elegantissime *Arist. §. Ethicor.* nummum appellat sponsorem futuræ indigentia, quoniam venditor pro nummo quem accipit securus sit, se vicissim re qua indiget, quodcumque potiri posse) à qua tamen maxime differt, sunt qui dant plurimas differentias, sed differentiam essentialem & præ aliis maximam puto hanc esse, quod in emptione præterium interveniat, permutatio vero re contrahatur; quod hic contractus sit *nominatus*, per se patet quia habet speciale nomen, & producit actionem ejusdem nominis. Est hic contractus quoque *bonæ fidei*. Quod inde manifestum est, quia inter eos in *§. 28. ff. de act.* enumeratur. Reliqua verba definitionis denotant tria substantialia emptionis quæ sunt, 1. consensus ab utraque parte *l. 9. pr. ff. b.* 2. res à parte venditoris *l. 8. ff. eod.* 3. præterium à parte emptoris *l. 2. §. 1. ff. b.* & quidem singulatim de singulis aliquid dicendum erit.

I I I.

Quod ad 1. attinet dicitur hic contractus *consensu constare*. Quia solo consensu perficitur. *d. l. 1. §. fin. ff. b.* Attamen consensus intelligi nequit, nisi etiam sit id super quo consentiendum est, id est, res & præterium, quamvis res & præterium hic non requirantur, ut in contractibus, qui re ineuntur, ubi rei & pecuniæ traditio formam negotio dat idque perficit, nam quod ad perfectionem hujus contractus non desideretur rei interventus inde manifestum est, quod statim quando convenit licet res non sit tradita, nec præterium numeratum, nascitur utrimque naturalis & civilis obligatio. *pr. ff. de empt. vend.* nec verborum interventus, neque scriptura in hoc contractu desideratur, nisi expresse convenit, ut in scriptis fiat emptio: quo casu hoc actum videtur, ut non prius sit perfecta emptio, nisi scriptura fuerit subsecuta, & subscriptiones accesserint, quod quousque peractum non sit, quum arrharum amissione ejus qui dedit, vel duplicata ejus qui accepit restitutione, utrique pœnitere licet *d. pr. ff.* quorundam tamen locorum statutis, circa immo-

immobilium rerum commercia cautum est; ut antequam coram magistratu loci ipsa emptio recognita, & in scriptis fuerit redacta, non subsistat, atque interim utrique partium cum arrharum amissione poenitere liceat vide *stat. Leyd. art. 112.* Et in cæteris per totam Rhénolandiam ruri servatur consuetudo ut emptio venditio in tabernapotalia inter pocula celebrata, haud subsistat, nisi 24 horarum lapsus pro confirmatione intercesserit, intra quem utrique etiam contrahentium liberum est ab emptione cum arrharum & symboli amissione recedere, quod etiam per totam fere Flandriam observari refert *Burgund. ad Consuetud. fland. in proem. num. 5.* 2. Exceptio est si venditæ res fuerint quæ pondere numero & mensura constant istis casibus non aliter perfecta est emptio, quam si istæ res fuerint apponderatæ numeratæ vel mensuratæ *l. 35. §. 5. ff. b.* 3. Emptio conditionalis non aliter est perfecta, quam si ista conditio existat *l. 7. ff. eod. & l. 8. C. de peric. & comm. rer. vend.*

I V.

Qualitas consensus præcipue consistit in eo, quod debet esse liber, unde hæc facta est regula, quod nemo invitus emere vendere cogitur. *L. 11. & 13. C. b.* etsi contractus ejusmodi vi aut metu sit extortus, non quidem ipso jure nullus est sed tamen rescinditur à prætore *l. 1. C. de resc. vend.* hæc tamen regula quoque patitur exceptionem, & invitus cogitur quis rem suam vendere, & quidem 1. ob causam religionis, iter ad sepulchrum *l. 12. pr. ff. de rel. & sumpt. fun.* 2. ob utilitatem publicam, dominus servos in quos nimium sævit. Interest enim Reip. ne quis ne sua male utatur. 3. Ob necessitatem publicam, forte annonam & similia. vel forte agrum ad viam publicam *l. 14. §. 2. ff. quemadm. serv. amitt.* Ejusmodi enim casibus, & si quis alius hisce similis inveniatur, majestas pro suo eminenti dominio, quod in singulorum Civium res habet recte de illis statuit.

V.

Libertatem, consensus maxime impediunt dolus metus & error, de quibus ita tenendum; & quidem 1. de dolo, circa quem hoc modo distinguendum, aut incidit in emptionem aut dedit emptioni causam (incidere dicitur dolus in emptionem, cum aliquis inducitur ad pluri emendum vel minoris vendendum *l. 13. & 14. ff. de act. empt.* Contra dolus dicitur darè causam emptioni, quando aliquis ad emendum vel vendendum inducitur, quod alias empturus aut venditurus non esset) 1. casu quando incidit in emptionem, emptio quidem

ipso jure valet, sed rescinditur per actionem ex empto. *l. 11. §. 5. ff. de act. empt.* Posteriori casu quando dolus dat causam huic contractui, contractus est ipso jure nullus. *l. 7. ff. de dolo.* Quod ad vim & metum attinet nulla differentia statuenda est, utrum in emptionem inciderit, an emptioni causam dederit, sed semper emptio vi aut metu contracta ipso jure valet, sed ex edicto prætoris restituitur. *l. ult. §. 1. & 3. ff. quod met. caus. & l. 5. C. eod.* uti jam semel dictum. Diximus 3. errorem quoque consensui contrarium esse, de quo dubium non est, quippe qui consensum excludit *l. 15. ff. de jurisd.* unde etiam emptionem quandoque nullam facit quandoque facit, ut salva emptione, errans, interesse consequatur, quandoque prorsus non attenditur. Itaque hic distinguendum, an erratum sit in corpore, vel in tota materia, quo casu ipso jure nulla est emptio *l. 9. pr. & §. 1. ff. b.* in corpore ut si putem me fundum Cornelianum vendere, tu vero putes te Sempronianum emere, & non dubium est emptionem imperfectam esse *d. l. 9. ff. b.* aut in tota materia, ut puta si acetum quod non habet substantiam vini pro vino veneat, vel æs pro auro, vel plumbum pro argento, quibus casibus quoque venditio nulla est teste Ulp. *d. l. 9. §. 2. ff. b.* Idem obtinet si in sexu erretur. *L. 11. §. 1. ff. b.* Si è contrario in qualitate rei tantum erratum sit, emptio consistit *l. 21. §. 2. de act. empt.*

V I.

Dictum est errorem in materia tota vitare emptionem, quod tamen non obtinet in pignore, ubi si de corpore constet licet erratum sit in tota materia, tamen pignus valet *l. 1. §. ult. ff. de pign. act.* idem etiam est in stipulatione. *l. 22. ff. de stip.* ratio diversitatis est, quia in pignore & stipulatione creditoris inter est aliquid potius habere quam nihil, sed natura emptionis requirit ut prætium quodammodo sit æquale cum re vendita.

V I I.

Ex præcedentibus non obscure colligi potest quinam emere vendere possunt, illi nempe qui consentire inter se convenire obligarique possunt, nec speciali lege ob speciales rationes prohibentur. Unde secundum communes regulas non valet emptio inter eos, quorum alter est in alterius potestate, ut inter patrem & filium nisi de rebus castrensibus *l. 2. ff. b.* vel inter dominum & servum *l. 14. ff. de obl. & act.* Similiter non valet emptio inter eos qui nequeunt consentire, ut furiosi, mente capti, infantes. Sunt & alii qui consentire quidem possunt, sed tamen ex speciali ratione emere non possunt.

possunt, quales 1. sunt tutores, curatores, & alii administratores, ex officio quod gerunt, idque, ob metum sinistrae administrationis. *l. 34. §. fin. ff. b. tales quoque 2. sunt Magistratus, qui emere non possunt eo tempore, quo sunt magistratus, idque ob metum concussionis l. 46. ff. b. junct. l. unie. C. de cont. jud. ex qua 1. patet quod ista prohibitio tantum pertinet ad magistratus provinciales. 2. quod tantum habet locum in rebus immobilibus aut mobilibus, quæ non pertinent ad victum aut amictum l. 62. ff. b. Ratio est quia Veteribus hanc ereptionem potius, quam emptionem esse visum est. Teste Cicerone si quis contra dictam prohibitionem emerit rem, ex officio non tantum rem ipsam amittit, sed & in quadruplum convenitur, secundum constitutionem Severi & Anthonini d. l. 46. ff. b. quod jus tamen moribus nostris antiquitatum est. 3. Ex speciali ratione emere vendere prohibentur Manichæi *l. 4. §. 3. ff. de hæresib.* 4. Apostatae *l. 4. C. de Apost.* Ad duntur ab interpretibus medici & advocati, qui non possunt emere, ab ægroto vel cliente, excipiunt etiam nobiles & in dignitate constitutos, verum perperam hi adduntur, quia nulla speciali lege prohibentur. Quod ad Medicos attinet conantur illud probare ex *l. 3. ff. de extraord. cogn. & l. 9. C. de prof. & med.* quod tamen ut puto minime his legibus probatur, *lex 3.* enim tantum loquitur de medicis, qui ægrotos compulerunt, per adversa medicamenta, 1. vulneribus inferenda, ut possessiones sic sibi ipsis acquirerent, & per consequens de iis medicis, qui volunt emere mala fide. Nec 2. *l. 9.* facit ad quæstionem, nam illud quidem certum est, id quod pro salute à periclitantibus promissum est, non posse exigi, ea vero esse accipienda, quæ sani offerunt. *d. l. 9.* quod & hodie moribus observatur. Quod ad Advocatos attinet illud diss: conantur probare ex *l. 6. §. 2. C. de postul.* sed admodum male, quia ista loquitur de pacto de quota litis & illicita mercede. 3. Dicunt nobilibus non licere mercaturam exercere, quod rursus nullo fundamento nititur, nam nec ratio naturalis, cui non contrariatur mercatura, distinguit inter nobiles & alios, nec lex civilis, nec mos hodiernus, quamquam hodie frequentius militiæ aulæque se dedant, quam negotiationi, idque fere honorificum magis habeatur. Certæ hoc dicendum à negotiatione sordiore ni abstinuerint, vix nobilium honorem tueri poterunt: quorum numero habendi sunt trapesitæ, vestium venditores, apothecarii & hisce similes *l. 12. §. fin. C. de cohort.* ratio est quia omnis honor à contagione hujusmodi segregari debet *d. l. 12.**

V I I I.

Dixi porro in definitione *de re acquirenda*: Ex quibus verbis secundum emptio-

emtionis substantiale videre est, res nempe, quæ & merx vocatur, quamvis proprie loquendo, hoc verbum pertineat tantum ad res mobiles. *l. 66. ff. de V. S. l. 207. ff. eod.* tamen hoc casu latior ejus verbi significatio est, & denotat res mobiles & immobiles, corporales & incorporales, item servitutes, tum prædiales. *l. 80. §. 1. ff. h. tum personales. l. 80. §. ult. ff. de pen. & com. rei. vend.* in genere mercis nomine, veniunt, omnia ea quæ vendi possunt.

IX.

Videamus jam quænam res vendi possunt, & quidem vendi omnes res possunt, quas quis habere possidere vel persequi potest. *l. 34. §. 1. ff. h.* non tantum ergo propria res, sed etiam aliena vendi potest. *l. 28. ff. eod.* ratio est quia venditor non tenetur rem emptoris facere, sed tantum facere ut liceat habere. *l. 25. ff. h. & l. 30. §. 1. ff. de act. empt.* Ut autem habere liceat, æque in re aliena, atque in propria præstari potest. Rei alienæ tamen venditio eatenus rursus non valet, quatenus dominium transferri nequit, nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet. *l. 54. de R. J.* si enim verus dominus superveniat, potest rem evincere. *l. 8. §. 2. ff. de act. empt. & l. 1. & 2. C. de reb. alien. non alien.* Si emptor sciens rem alienam emit, non valet venditio. *l. 34. §. 3. ff. h.* Uti etiam non valet emptio rei quæ jam nostra est, ratio est, quia quod nostrum est amplius nostrum fieri nequit, nisi fortè quis emat jus, quod aliquis in re nostra habet, ut cum ab initio hoc agatur, ut possessionem emas, quam forte venditor habuit, & in judicio possessionis forte potior esset. *l. 34. §. 4. ff. h.* aut si id emam sub conditione, quod forte meum esse desinere speratur. *l. 61. ff. h.*

X.

Sed ut res, quæ in venditionem venit, faciat eam subsistere requiritur
 1. ut existat: rerum vero non existentium contractus adeo nullus est, ut nec æstimatio, nec pæna inde debeatur, unde si quis duos servos uno prætio pariter emerit, quorum alter ante venditionem mortuus est, neque in vivo constat emptio. *l. 44. ff. h.* si domus exusta vendatur, nil agitur, nihilque consensus circa eam operatur, non tantum si uterque sciverit esse exustam, quia dolus utrimque compensatur, qui facit judicium bonæ fidei non subsistere. *l. 57. §. ult. ff. h.* sed & si uterque ignoraverit, quæ res est extra dubium, quia deest consensus, si nempe major pars sit combusta. Si vero dimidia aut minor pars fuerit tantum combusta, emptor coarctandus est venditionem implere, habita tamen boni viri arbitrata ratione, ut quod
 ex

ex prætio propter incendium decrevit, ab ejus præstatione liberetur. *d. l. 57. in fine pr.* nisi ea pars rursus destructa fuerit, cujus contemplatione emptio inita est *l. 58. ff. b.* ratio est, quia tum videtur deesse consensus, sine quo emptio esse non potest. Si solus venditor hoc sciverit, tota domo consumpta, venditio est nulla, si vero tantum pars ædificii remanserit, certum est stare venditionem, & venditorem emptori quod inter est, debere restituere, & hoc ob deceptionem *d. l. 57. §. 1.* Ex diverso emptoris solius scientia facit venditionem sine ulla distinctione subsistere, & prætium omne ab emptore, si non est depensum, debere solvi, vel si solutum sit non repeti. *d. l. 57. ff. §. pen.* ex ratione, quod cum sciret rem periisse, consenserit tamen emptam habere, & ad pretii solutionem sponte se obligaverit.

X I.

Dicitur est rem, quæ venditur debere existere, quod ita strictè non est intelligendum, quasi actu jam existere deberet, sed sufficit ut existere possit, hinc rei futuræ emptio procedit, ut fructuum qui nascuntur, si tamen postea exstiterint, quia ista conditio inest *l. 1. in fine ff. de cond. & dem.* cujus defectus etiam faciet deficere emptionem, nisi per venditorem steterit, quo minus nascantur, quo casu emptor potest agere ad interesse *l. 8. pr. ff. b.* nihil refert an plures an vero pauciores fructus nascantur, si tantum aliqui nascantur, totum prætium debetur, nisi prætium in certam quantitatem sit constitutum. *l. 39. §. 1. ff. b.* Imo & spei & aleæ & incerti eventus emptio rectè fit, quæ emptio dicitur consistere sine re, scilicet certa præsentique. *l. 8. §. 1. ff. b.* Alias spes est loco mercis, unde emptio pura est, & prætium debetur, & si præter spem nihil ad emptorem pervenerit *l. 8. §. 1. ff. b.* Nisi per venditorem iterum hoc steterit, quo casu tenetur ad interesse. *l. 12. & 21. §. 3. ff. de act. empt.*

X I I.

Ut venditio possit exitum habere, requiritur 2. ut res quæ venditur certa sit & determinata; determinatur res, vel in genere ad corpus, cum certa res venditur, nulla facta mentione quantitatis, aut saltem tantum demonstrationis causa: V. G. Vendo tibi fundum his finibus circumscriptum, quod est 10. jugerum, quod à quibusdam dicitur, emere per aversionem, apud nostrates, *Koopen by den Hoop.* Quo casu venditio est perfecta, simulac contrahentes de re & prætio consenserint, arg. *pr. f. b. l. 15. ff. de peric. & com. rei vend.* Vel determinatur res in specie, ut cum venditur ad

B

certam

certainam mensuram, ut si in jugera alicujus prædii vel singula, vel universa prædium constitutum sit, ut vendo tibi 10. jugera, vel vendo tibi fundum 10. jugerum, tanto prædium pro unoquoque jugero, hoc casu si major quantitas inveniatur, venditor sibi retinet illud, quod superfluum est, vel emptor, prædium auget, si è contrario minor quantitas inveniatur, quam vendita sit, venditor id quod deest debet supplere vel patrem prædii remittere *l. 40. §. 2. ff. b. l. 2. pr. & l. 6. pr. ff. de act. empr.*

XIII.

Tertium requisitum est ut res sit in commercio *l. 34. §. 1. ff. b.* alias enim emivendi non potest, nam commercium nihil aliud est, quam emendi vendendique invicem jus, si tamen de facto res extra commercium vendatur, contractus est ipso jure nullus, nisi quod emptori adversus eum, qui sciens talem rem vendidit, datur actio in id quod interest *§. ult. ff. b.* atque hoc sensu & effectu liberi hominis rerumque sacrarum dicitur emptio consistere *in l. 4. & 70. ff. b.* cum ergo generaliter nullitas contractus de ejusmodi rebus certa sit *l. 34. §. 1. ff. b.* Nunquam actio ad implementum contractus de his rebus datur, sed emptor ignorans contra venditorem scientem agit (ut dictum) in id quod interest, contra ignorantem duntaxat ad prædium repetendum arg. *l. 57. ff. b. & l. 11. §. fin. immed. ff. de act. empr.* Si emptor vero sciverit, venditor ignoraverit rei conditionem, non modo solum non repetet prædium, sed & non solum exigi poterit *l. 57. §. 2. ff. b.* Si uterque sciverit solum quidem non repetetur, sed nec emptor agere potest *d. l. 57. §. ult. ff. b.*

XIV.

Despiciamus jam de rebus, quæ non sunt in commercio, quæ tales sunt vel natura sua vel Gentium, vel jure Civili. Natura extra commercium sunt, sol, stella luna &c. item res quæ nec sunt in rerum natura nec esse possunt ut chimæra, hypocentaurus *§. 1. ff. de inst. stip.* atque harum rerum contractus adeo nullus est, ut nec æstimatio nec pœna inde debeatur *d. §. 1. & l. 69. ff. de Verb. Obl.* Jam ad res quæ quidem haberi possunt, sed tamen commercio jure Gentium eximuntur, qualis 1. est liber homo. *l. 6. ff. b.* ratio 1. est quia liber homo haberi non potest. *l. 4. ff. b.* 2. quia æstimari liber homo non potest, & in tantum hoc procedit, ut ne talis quidem venditio valeat liberi hominis, cum servus erit, cum fas non sit ejusmodi casus expectare. *l. 34. ff. b.* hujus tamen venditio aliquot casibus tenet, saltem jure Romano, & quidem

1. hæc

1. hæc venditio procedit, si pater filium sanguinolentum, id est, recens natum ob nimiam inopiam vendiderit. *l. 2. C. de patr. qui fil.* quæ venditio & si liberos faciat servos; non præjudicat tamen eorum ingenuitati, quam oblato prætio ab ipsis venditis, vel eorum patre, vel alio quocunque, vel etiam dato vicario mancipio, recipiunt. *d. l. 2.* Imo & cogi potest pater ditior factus redimere venditos ob cessantem causam. *Covarr. 2. var. resol. c. 14. n. 4. in fine* videtur autem ista venditio concessa patri tantum, non etiam avo, cum *d. l. 2.* tantum mentionem faciat filii vel filiæ, ut trahi ad nepotem nequeat, cum extensio sit evitanda, maxime in casibus quibus aliquatenus videtur lædi naturalis ratio, uti nec videtur admittenda extensio ultra casum egestatis, quia odiosa potius sunt restringenda, quam amplianda. Alia exceptio juris civilis est in majore 20 annis, qui ad prætium participandum se venundari passus est, quo casu in poenam fraudis servus ejus fit; cui venditus est. *§. 4. F. de jure pers. & l. 5. §. 1. ff. de stat. hom.* Verum hæ duo modi inter Christianos vix obtinent 2. Jure Gentium extra commercium sunt res sacræ sanctæ & reliosæ. *§. ult. F. h. & l. 22. ff. b.* quæ tamen emivendi possunt consideratæ tanquam accessiones aliarum rerum. *l. 24. ff. b.* ratio ejus est in *l. 62. ff. de acq. rer. dom.* Imo & emptio eatenus valet, quatenus ignorantem emptori datur actio ex empto adversus venditorem, ut consequatur illud quod sua interest deceptum non esse. *d. §. ult. F. h.* Jus civile 3. quasdam res simpliciter & absolute emi vendi prohibet, quasdam secundum quid. Simpliciter prohibentur 1. res usu publicæ, ut fora, theatra, balnea. *§. 2. F. de inur. stip. venena mala l. 35. §. 2. ff. b.* Res litigiosæ. *l. ult. C. de litig.* Quædam denique res non possunt vendi, nisi sub certo modo, quales 1. sunt res minorum & pupillorum sine decreto jùdicis. *l. 22. C. de adm. & peric. tut.* 2. Res emphiteutica, cujus dominium directum est alterius, alienari non potest, nisi secundum formam præscriptam in *l. fin. C. de jure empb.* 3. Feudum vasallus sine consensu domini non potest alienare. *Cap. unic. de prob. feud. alien.* 4. Arma hostibus imperii *l. 2. C. que res ex port. Junct. l. 2. ff. ad Leg. Jul. Maj.*

X V.

Dicitur denique indefinitione, pro certo prætio hic jam venit tertium substantiale requisitum hujus contractus prætium nempe, sine quo nulla est venditio *l. 2. §. 1. ff. b. & §. 2. F. eod.* in cujus qualitate 1. requiritur, ut sit certum *§. 1. F. b. & l. 35. §. 1. ff. eod.* quamdiu enim prætium est incertum & indeterminatum etiam venditio est incerta *l. 7. §. 1. ff. b.* Certum autem dicitur prætium, cujus taxata est quanti-

DISPUTATIO JURIDICA

tas, quod sit vel *expresse*, vel *demonstratione* seu *relatione* ad aliud, *expresse* veluti hunc fundum tibi vendo aureis tot, vel *demonstrative*, V. G. emptus sit fundus mihi, quanto tu eum emisti, vel quantum *præti* in arca habeo, nihil enim refert utrum *prætium* referatur ad *præteritum*, an ad *tempus præsens*. l. 7. §. 1. ff. b. Uti & *prætium* potest referri ad *futurum tempus*, ut quo *prætio* illo die in foro vendetur. Deinde *prætii* *determinatio* potest conferri in *arbitrium* tertii nominati, veluti quanti *æstimaverit* Titius, tanti res sit vendita. §. 1. ff. b. ratio cur valeat est quia certam *quantitatem* habere potest *contractus*, quod satis est ad *certitudinem*, dico *tertii*. Quia in alterius *contrahentium* *arbitrium* collatum *prætium* facit *inutilem* esse *venditionem*, quia non *adstringit* necessitate *contrahentes*, & *nullam* parit *obligationem*. l. 35. §. 1. ff. b. l. 13. C. eod. dico *Nominati*. Nulla enim *persona* nominata, pro nullo erit *emptio*, propter *incertitudinem*, quæ ab *initio* ponitur, nempe quod possunt *contrahentes* non *convenire* super eligendo *tertio*. l. 25. pr. ff. loc. cond. Non valet quoque *emptio* si ex *post facto* ille, qui *nominatus* est nolit aut non possit dicere *prætium*, quia eo casu videtur *nullum* esse *prætium*, sine quo tamen *emptio* *consistere* non potest. d. §. 1. & l. ult. C. b. Sed è *contrario* si ille *tertius* *arbitratus* fuerit *omnimodo* ejus *arbitrio* est *standum*. d. §. 1. & l. ult. Nisi ita *pravum* sit ejus *arbitrium*, ut *manifesta* appareat *iniquitas* tunc potest *redigi* ad *arbitrium* *boni viri* l. 76. & 78. ff. pr. socio. Nisi id *actum* sit inter *contrahentes*, ne à *persona* ejus qui *nominatus* est *recederetur*. l. 75. ff. pro. soc. quo casu tamen videtur *ejus* *arbitrio* *standum*, propter *nimis* *districtam* *contrahentium* *voluntatem*, quo casu si *alteruter* *injuriatur* aut *damnum* *sentiat*, non habet quod *queratur* quia sua culpa *sentit*, si *læsi* vero ita sit *enormis*, ut *excedat* *dimidiam* *partem* *justi* *prætii*, eo casu *corrigi* potest per *remedium*. l. 2. c. de resc. vend.

X V I.

In *prætio* 2. *requiritur*, quod debet *consistere* in *pecunia* *numerata* *saltem* qui *numerari* potest, & si forte *quantitas* ejus *initio* non *exprimatur*, veluti fundus sit tibi *emptus* eo *prætio*, quod in arca habeo. d. l. 7. §. 1. ff. b. §. 2. ff. b. & l. 1. §. 1. ff. b. Unde sunt qui putant non esse *emptio-*
nem, si quis *emat* *rem* *nummis* *appensis*, non *numeratis*, quæ *sententia* *vera* est, si *appensio* *fiat*, ut *tantum* *intelligatur* *pondus* *argenti* vel *aurei*, non vero ut ex *pondere* de *numero* *nummorum* *constet*. Ex *post facto* tamen *venditori* *consentienti* *alia* *res* pro *pecunia* potest *dari*. l. 9. C. de resc. vend. & l. 17. C. de solut. Si vero ab *initio* *res*, non *pecunia* pro *re* *datur*,

tur, non est emptio venditio, sed permutatio sive contractus do ut des, cujus usus olim frequentius fuit, sed nummis repertis rarior factus est *d. §. 2. & l. 1. §. 1.* Quod si contingat, quod partim pecunia, partum res pro re detur, hoc modo distinguendum erit, vel enim contrahentes hoc casu expresserunt, quis contractus a se initus sit, vel non; priori casu standum est voluntati contrahentium, talisque contractus intelligetur, qualem dixerunt *l. 6. §. 1. ff. de act. empt.* Si id non expresserunt, is erit contractus, qui prætio prævalet *arg. l. 34. pr. ff. b.* Si æquale sit, prætium, in dubio potius dicemus, esse emptionem, quia hic est plenior & frequentior contractus, & proinde facilius præsumitur. Sunt & aliæ differentiæ inter hos contractus, nam 1. emptio (ut dictum est) solo consensu perficitur, & ita producit actionem, sed lætium permutationis, nulla re secuta, nullam producit actionem: nisi stipulatio subiecta sit, & ita ex verborum obligatione partes sibi quæsierint actionem. *l. 3. C. de rer. perm. 2.* In venditione aliud est emere, aliud vendere, alius emptor, alius venditor, aliud prætium, aliud merx, quæ omnia in permutatione discerni non possunt. *l. 1. §. 1. ff. b.* 3. In venditione venditor tenetur tantum tradere *l. 25. §. 1. ff. b.* Emptor vero debet nummos dare, *id est*, dominium nummorum transferre. *l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* Contra in permutatione sufficit ut uterque tradat. 4. Emptio venditio est contractus nominatus, ex quo certa oritur actio, empti scilicet, sed permutatio est contractus innominatus, unde oritur actio præscriptis verbis.

XVII.

Tertium requisitum prætii est, quod prætium debet esse verum & justum, si ergo prætium non rei æstimandæ, sed dicis causa adjiciatur, non est vera venditio, sed simulata. *l. 54. ff. de O. & A. & l. 16. ff. de R. J.* Qualis pro nulla habetur, unde nec alienatio ejus rei intelligitur. *l. 55. ff. b.* Talis etiam judicabitur, si prætium quidem ponatur sed dandi animo non exigendum, quod facit, non tam videri rem vendi, quam donari, nam simulata venditio donationis causa, transit in donationem, eoque animo tradita res nequit revocari. *l. 3. & 9. C. b.* Plus enim valet quod agitur, quam quod simulate concipitur. Venditiones ergo rerum alicujus momenti non possunt fieri uno nummo, qui prætio fere opponitur. *l. 10. §. ult. ff. de acq. vel amitt. poss. & l. 46. ff. loc. cond.* Nec obstat, quod ususfructus, in *l. 66. ff. de jur. dot.* uno nummo vendendus esse dicatur, est enim casus specialis, speciali remedio indigens, nam ususfructus, eo casu, commode ad mulierem pervenire non poterat, cui tamen ex æquo & bono debebatur.

Dixi etiam prærium debere esse justum, quod ita non est intelligendum, quasi nulla omnino inæqualitas posset admitti, inter mercem & prærium, hoc enim semper agit venditor, ut paulo carius vendat, & emptor ut vilius emat. *l. 8. C. de resc. vend.* Qua ratione contrahentibus *ἐπιπορευός id est*, pro ut inter mercatores obtinet. *nov. 97. C. 1.* se invicem circumvenire licet *l. 16. §. 4. ff. de min.* Si ergo alteruter inde læsus sit, siquidem infra dimidium, non attenditur, si ultra dimidium, valet venditio, sed rescinditur per *l. 2. C. de resc. vend.* Quod verum est si læsio dolo careat, cæterum quid dolus dans causam huic contractui, aut incidens in hunc contractum operetur, dictum est ad thesin 5.

X V I I I.

Atque hætenus explicata est definitio emptionis venditionis, & ejus requisita substantialia. Sequuntur jam ejus divisiones, & quidem 1. ratione formæ. Emptio potest dividi, quod vel pura sit, vel in diem, vel conditionalis. *§. pen. f. b.* Hinc talis venditio valet; Si Stichus intra certum diem tibi placuerit erit tibi emptus aureis tot *d. §. pen.* Potest enim conditio in arbitrium alterutrius contrahentium ad tempus conferri, non vero in perpetuum. *l. 8. ff. de obl. & act.* Dies emptioni potest addi vel ita, ut ad diem certum res ematur, ut puta ad quinquennium. *l. 80. §. 2. ff. b.* Vel ita, ut ematur ex die certo, ut in *l. 41. pr. & §. 1. ff. b.* Qui dies tamen non suspendit obligationem, sed tantum traditionem & implementum contractus. *arg. §. 2. f. de V. O. & l. 113. ff. de V. S.* Conditio vero si emptioni adjecta fuerit, pendente ea etiam obligatio emptionis est in pendenti. *l. 7. pr. ff. b.* Non tamen licet uni pænitere. *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* Si pendente conditione res tradita fuerit, emptor eam non potest ufucapere pro emptore. *d. l. 8. & l. 4. pr. ff. de in diem adj.* Quod si conditio existat emptio ab initio censetur perfecta fuisse, si contra conditio deficiat, emptio ab initio creditur esse nulla. *d. l. 8.* Emptio 2. potest dividi, quod alia si privata, alia publica, de privata hætenus dictum. Publica est, quæ publice fit subhasta, unde subhastatio dicitur, cum res præconis voce venditur erecta hasta, quod sæpe fit, in rebus fiscalibus, minorum, ecclesiæ, Reip:, & cujusvis privati, qui rei judicæ executionem patitur. *l. 15. ff. de re jud.* Fiscalis autem subhastatio ut procedat, requiritur 1. Ut debitor coram giudice interpellatus solvere cesset. *Gl. in l. 1. C. de fide & jure hast. fisc.* 2. Ut fiat autoritate præsidis, vel procuratoris Cæsaris. *l. 4. 5. & 8. C. ubi caus. fisc.* 3. Ut venditio fiat decursis hastis, *id est*, postquam per 20 dies solennes res venalis stetisset, propositis in celebrioribus locis libellis, qui rem ven-

venalem significabant. *l. 6. C. de fid. instr. & jur.* Intra quos dies licitatores poterant prærium offerre & licitando vincere. *l. 1. C. de vend. rer. civ. 4.* Ut venditio non sit rata, si intra præscriptum tempus quis plus, quam cui addicta est res, offerat. *l. 4. C. de fid. instr. & jure hast.* Quod Mores plerumque sequuntur.

X I X.

Denique transgrediendum ad effectus emptionis venditionis, qui in præcipue consistunt, quod venditor tradat rem, non vero ut det, necesse enim non habet, rem emptoris facere, cum, ut supra dictum, venditio etiam sit rei alienæ, cujus dominium non potest transferre is, qui non est dominus, ex eo fundamento juris; quod nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, traditio tamen, si facta fuerit à domino venditore faciet & emptorem dominum. *l. 11. §. imprimis ff. de act. empt.* Et hoc ita si prærium solutum fuerit, vel alias satisfactum venditori. *l. 19. ff. h. quod non solum est tradendum, sed etiam dandum.*

X X.

Ultimo emptionis venditionis effectus potissimus est obligatio, ex qua oritur duplex actio, ex parte emptoris, *Actio empti qua est actio personalis bonæ fidei, qua datur emptori adversus venditorem, ut rem venditam tradat cum omni accessione.* Et ex parte venditoris, *Actio venditi, qua est actio personalis bonæ fidei, qua datur venditori adversus emptorem, ut solvat prærium & omne id quod ex natura contractus præstandum est.* Quæ tamen actiones tum demum cum effectu institui possunt, cum alter contrahentium ex sua parte contractum impleverit, quod respectu venditoris fit, tradendo rem. *l. 25. ff. de act. empt.* Aut saltem id quod pro traditione habetur, à parte emptoris solvendo prærium, aut alio modo satisfaciendo. De quibus actionibus latius posset disseri, sed alia occasione melius.

Hic Opus hic Labor est.

COROLLARIA.

I.

Mandator vulneris de cade tenetur.

II.

Aliud pro alio invito creditori solvi non potest.

III.

Si quis vitiatam duxerit pro virgine nuptiæ subsistunt.

IV.

Minores invito tenentur accipere curatores.

V.

Filiusfam. non potest testari de adventitiis plenis.

VI.

Usucapio est justus & legitimus modus acquirendi.

VII.

Qui credidit in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

VIII.

Bona fidei possessor ante litem contestatam, perceptos & consumptos fructus quoscunque, irrevocabiliter suos facit.

F I N I S.